



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De Zachæo conuerso. Luc. 19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

De Zachæo conuerso. Luc. 19.

H.

I. **P**Erambulante Iesu Iericho, Zachæus Princeps publicanorum, statura pusillus, cupidus eum videndi, præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, ut videret illum inde transiturum. Filius Dei qui in mundum venerat quærere & saluum facere, quod perierat, nunc perambulat Iericho ad quærendum Zachæum, ut ex mancipio Mammonæ faceret filium Abrahæ: quem gratia sua abundante sic præuenit, sic illuminauit, sic accendit, ut se à vera virtutis semita aberrasse humiliter agnosceret, verum Saluatorem videre ardentem cuperet, & ut voti sui compos fieret, se risui omnium exponere non dubitaret? Nisi & te sic pius Iesus quæsisset, ubi nunc esses? quam profundè in luto concupiscentiarum tuarum demersus hæeres? Admiratio diuinæ benignitatis erga peccatores, gratitudo, amor.

II. **S**uspiciens Iesus vidit illum, & dixit: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, & excepit illum gaudens, murmurantibus omnibus quod ad hominem peccatorem diuertisset. O inæstimabilis

*Apoc. 3.
Cant. 5.
Eph. 5.*

bilis liberalitas Saluatoris ! O incomparabilis felicitas talis peccatoris ! quæ desiderabat videre , meretur hospitio excipere : & quem pascebat cibo corporali, ab eo pasci meretur cibo spirituali. Inuides illi hanc felicitatem ? eandem sentis tibi toties offerri, quoties intus eum pulsantem audis ostium cordis tui : *Ecce sto ad ostium & pulso. Aperi mihi soror mea, amica mea. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Gratitude, amor, feruor parendi diuinæ inspirationi.

III. *Stans autem Zacharus dixit ad Iesum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquando defraudaui, reddo quadruplum, ait Iesus ad eum : quia hodie salus domui huic facta est, ac quod & ipsa sit filius Abrahae.* En dignos fructus pœnitentiæ, & veræ conuersionis, ad quos proferendos excitulat, inducitque præsentia Iesu. Si similes fructus producis, signa habes veræ ad Deum conuersionis : quæ si non habes, cura vt habeas, peccata commissa cum lacrymis detestando, confessione expiando, operibus satisfactorijs compensando, iniurias & damna proximis illata restaurando, &

feruenti eximiae perfectionis studio
præteriti temporis iacturam resarcire
conando. Feruor in his Zachæum imi-
mitandi.

De Lazaro languente & mortuo.

III.

Ioan. II.

I. **L**azaro agrotante in Bethania, mo-
nitus Iesus à sororibus eius Maria
& Martha, curantibus illi nunciari: Do-
mine, ecce quem amas infirmatur; respon-
dit: infirmitas hac non est ad mortem, sed
pro gloria Dei: ut glorificetur Filius Dei
per eam, & tunc mansit in eodem loco duo-
bus diebus. Magna fuit sororum erga
Christum fiducia, magna in ipsius be-
neplacitum resignatio, confidenter
illi solum insinuantium: Ecce quem *S. Aug.*
amas infirmatur. Sufficit ut noveris, non *17. 49. 17.*
omnem amas, & deseris. Magnum item *Ioan.*
fuit illarum gaudium cum audirent,
hanc infirmitatem non esse ad mor-
tem: & nihilominus pius Dominus
permisit Lazarum mori, illas contri-
stari: insuper distulit eas præsentia
sua consolari: idque ex singulari a-
moris erga eas affectu, & zelo ma-
ioris gloriæ Patris, maioris ipsarum,
aliorumque profectus spiritualis. Di-
stulit enim ideo illum sanare, ut posset

§§ 4

resu;